DE VERRIO FLACCO GLOSSARVM INTERPRETE DISPVTATIO CRITICA

DISSERTATIO INAVGVRALIS PHILOLOGICA
QVAM AD SVMMOS
IN PHILOSOPHIA HONORES AVCTORITATE AMPLISSIMI
PHILOSOPHORVM ORDINIS IN VNIVERSITATE
FRIDERICIANA HALENSI CVM VITEBERGENSI
CONSOCIATA RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HENRICVS WILLERS
HANNOVERANVS

HALIS SAXONVM
HANNOVERAE FORMIS CVLEMANNIANIS
MDCCCXCVIII

DIS · MANIBVS
PARENTVM
SACRVM

Quaerendi defetigatio turpis est, cum id quod quaeritur sit pulcherrimum.
CIC.

Magno artis nostrae incommodo factum est, ut ex ingenti librorum copia, quos M. Terentius Varro conscripsit, perpauculae modo ad nos peruenerint paginae. qui libri quantum ad cognitionem Romanorum antiquitatum iuris ludorum rituum sacrorum profanorumque linguae sermonis adtulerint subsidia uel e nudis titulis percipere licet, quorum summam proposuit Ritschelius (*op.* 3, 491). Varroniana autem volumina ut iam primis post Christum natum saeculis maximam partem in bibliothecis abdita deperirent, istius temporis grammaticorum et antiquitatum scriptorum culpa accidit, qui infinita et admirabili eius eruditione uafre callideque usi editisque libris mole exiguis aequalium studiis facile satisfaciebant. horum complura scripta nobis seruata sunt persaepe uanitatem magis quam ueritatem prae se ferentia, atque male nobis prouisum esset, nisi aliud quoque oraculum adire liceret, quo detrimenta nostra resarciantur quodam modo. namque easdem fere res, quas Varro in sescentis libris posteris tradiderat, in unum opus contexere conatus est sub exitum diui Augusti Verrius Flaccus, uir haud mediocri praeditus industria et doctrina. cuius de significatu uerborum libri per litterarum ordinem digesti facilem cognitu praebebant materiem magnoque cum assensu ab aequalibus accepti sunt, id quod e subsequentis aetatis grammaticorum libris colligi

potest. at opus istud quam dura fatalique fortuna conflictatum sit non me opus est longius persequi: nam lacera illorum librorum membra, quae manibus tenemus, id nos satis commonefaciunt. sed quamuis misere ea, quae Verrius composuerat, Festi Paulique uiolentis manibus decurtata sint, tamen pristini operis reliquiae plurima nos docent scitu dignissima omnemque Romanorum antiquitatem illustrantia. quo accuratius uero Verrianorum librorum compositionem ac naturam pernouerimus, eo magis utilitati nostrae eos seruituros patet. itaque quicumque his libris operam dederunt intentiorem nihil fere antiquius habuerunt quam ut librariorum mendis sublatis uerbisque scriptoris penitus intellectis probe enodarent quo consilio ductus quem ordinem persecutus quibusque fontibus satiatus Flaccus tot milia rerum pertractarit. atque maxima cum uirtute in hoc campo uersati sunt cum Odofredus Muellerus tum ante hos undecim annos Ricardus Reitzensteinius, cuius Verrianarum quaestionum libellus diligenter et acutissime compositus maximam his rebus adtulit lucem omniumque tulit suffragia.

Telam a Reitzensteinio tam prospere coeptam cum producere paulo longius conaturus sim, praemonendum mihi uidetur omnibus libris, qui sub Festi Paulique nomine feruntur, paucissima tantum contiueri, quae a Verrio aliena sint. nam Festum leuissima quaedam eaque cognitu facilia addidisse Reitzensteinius optime probavit (p. 7—22. 104—7). Paulus si alia ratione usus esset, certe in epistula, quam operi suo praemisit, eius mentionem fecisset. iusto igitur iure Muellerus eum nihil nisi pauca quaedam, qualia istius aetatis grammaticis prompta parataque esse solebant, Festi uerbis adfinxisse docuit (p. XXXII)[1]. itaque ubi ea ab illo tradita sunt, quae ueritati aperte uim inferant, non continuo adfirmare licet eum talia ex aliorum libris interpolasse. en exempla. Paulus identidem adfirmare non dubitat (p. 49, 3. 54, 7) Romanis fuisse curias triginta quin-

[1]) Nuper de iis, quae Paulus addidit, accuratius disseruit C. Neff *de Paulo diacono Festi epitomatore* (Diss. Lips. Erlangae 1891) p. 46. 53.

que; quo sane nihil falsius dici potest. sed cum Augustinus eiusdem numeri auctor sit, Paulum illum expilasse arbitrati sunt Mommsenus (*quaest. Rom.* 1, 144. *iur. publ. R.* 3, 99, 3) eumque secutus Marquardtus (*administr. rei publ. R.* 3^{2}, 197, 7). huic uero sententiae obesse uidetur, quod is Serui grammatici aequalis vel assecla, qui in Verrinas orationes commentarium composuit, totidem curias postremo factas esse adseverat (cf. Mommsenus *l. l.*). praeterea si Paulus eum numerum inferre studuisset, cur non intulit contrahendo Festi uerba, quae sunt p. 174, 7 Nouae curiae? hoc loco aptissime is numerus addi potuit; sed Paulus omnino eum transiit. errorem autem inde natum esse puto, quod curiae cum tribubus perperam a Paulo confusae sunt, quod aperte docent uerba, quae leguntur p. 54, 7. — longius uero processit Woelfflinus, qui duarum glossarum parum sibi congruentium alteram a Paulo Festoue inculcatam esse verisimile dixit (*Archiui* 8, 428) his uerbis: *Wie weit durch die Ueberarbeitung des Originales durch Festus und Paulus der Inhalt einerseits verringert, andererseits interpoliert worden sei, kann hier nicht bestimmt werden; doch ist es kaum wahrscheinlich, dass Verrius die beiden Artikel hatte: Bellum a beluis dicitur, und Duellum, bellum, wie schon Varro richtig erklärt hatte, und auch dem Quint.* 1, 4, 15 *einleuchtete.* sed in Verri libris explicationes eorundem uocabulorum inter se repugnantes non semel leguntur. conferas quaeso

p. 5, 6 Adolescit . . . altare eo, quod in illo ignis excrescit. . . . Altaria sunt, in quibus igni adoletur. [1])	p. 29, 10 ALTARIA ab altitudine dicta sunt.
p. 14, 9 Auere nihil aliud est quam cupere. argumento *esse*	p. 23, 15 Auidus a non uidendo propter nimiam cupidi-

[1]) In exscribendis glossis Muelleri editione usus sum, cum Thewrewki editio propter defectum adparatus critici minimi adhuc sit usus. glossas, quae in altera litterae suae parte leguntur, ita a glossis priorum litterarum partium distinxi, ut illarum prima uocabula MAXIMIS litteris reddenda curarem. supplementa uero, quibus Festi uerba saepius explenda sunt, ubi a Paulo praebentur, uncis modo a Festi uerbis seiunxi, ubi uirorum doctorum coniecturis adlata sunt, uncis et *resupinis* litteris indicaui.

auidum et auiditatem, ex quibus praecipua cupiditas intellegitur, cum significet et gaudere.

p. 19, 10 Argea loca Romae appellantur, quod in his sepulti essent quidam Argiuorum illustres uiri.

tatem appellatur, sicut amens, qui mentem suam non habet.

p. 334, 7 Sexagenarios ... latebras autem *eas*, quibus *ar*cuerit senem, id est cohibuerit, et celaverit, sanctitate dignas esse uisas ideoque arcaea appellata.

quin Festus quoque hanc Verri inconstantiam saepe perstrinxit [1]). atque ea etymologia *bellum a beluis* minime pessima est earum, quas Verri ingenium peperit quarumque nonnullas Woelfflinus ipse congessit (p. 440). ceterum si posterioris aetatis grammaticus belli uocabulum explicasset, certe portentosum illud *bellum, quod res bella non sit* scripsisset (cf. Woelfflinus *l. l.* p. 435).

Longius haec exposui, ut pateat inquirentibus nobis in Festi Paulique libros cum Verrio uno rem esse neque illa respicienda, quae a duumuiris istis adficta Verri libros turpent potius quam augeant. quod uero neque glossarum ordinem mutarunt neque nouas glossas addiderunt id gratissimum nobis fecerunt. quod si fecissent numquam quae de Verrianorum librorum indole ac natura temptabimus atque statuemus, recto firmoque talo stare possent. attamen nimia multarum explicationum breuitas, omissa multorum auctorum testimonia, alienissimarum sibi rerum coacervatio ancipiti nos saepe opprimunt cura grauesque dubitationis mouent causas, atque in adsignando glossas certis auctoribus animo persaepe obuersatur Hesiodi illud

πίστεις γάρ τοι ὁμῶς καὶ ἀπιστίαι ὤλεσαν ἄνδρας.

---

[1]) Cf. p. 309, 5 Suburam Verrius alio libro a pago Succusano dictam ait; hoc uero maxime probat eorum auctoritate*m*, qui aiunt ...
p. 329, 23 Spondere Verrius putat dictum, quod sponte sua, id est uoluntate, promittatur. deinde oblitus inferiore capite sponsum et sponsam ex Graeco dictam ait ...
p. 326, 30 ... quam inconstantiam Verrii nostri non sine rubore rettuli. eandem inconstantiam in Varrone deprendimus (Ritscheli *op.* 3, 374).

I

DE GLOSSARVM INTER SE COGNATIONE

Pridem perspectum est magnam Verrianarum glossarum partem per diuersas litteras digestarum nexu quodam inter se cohaerere contigitque uiris doctis ut multarum glossarum agmina late uagata cogerent. atque Hertzius quidem glossas prouerbiorum e Sinni Capitonis libris haustas congessit, Mercklinus glossas, quae ad tribuum nomina et coronas militares spectant et Varronis libris debentur, Reitzensteinius glossas nominum oppidorum et populorum Italorum (*Hermae* 20 [1885] 532) et praenominum Romanorum, quas omnes Varroni reddidit. idem uir doctus glossas, quae de fulgoribus et de adfinitatum et cognationum nominibus sunt, segregauit additis minoribus quibusdam glossarum examinibus (*quaest. Verr.* p. 22—40). at nescio cur Reitzensteinius glossas, quae p. 13, 13—14, 6 leguntur *Auus Abauus Atauus Auunculus Amita* non admiserit (p. 27, 2) in numerum glossarum de cognatione collectarum. nam pronomen primae personae identidem in his explicationibus quem ad modum in ceteris a uiro docto compositis occurrit neque dubium esse potest, quin cum ceteris consociandae sint.

1. Cum persuasum habeam numerum glossarum, quae olim ab aliis scriptoribus coniunctim explicatae a Verrio secundum litterarum ordinem dispositae sunt, quam maxime augendum esse atque hac ratione etsi non omnibus tamen fortasse plurimis rite collectis Verrianorum librorum partes et fontes facilius dinosci posse, nonnullas glossarum societates iis addam, quae iam propositae sunt.

Scimus haud raro grammaticos Graecos et Romanos ea nomina et appellationes in unum coegisse, quae utraque natio certo cuidam rerum generi ex uariis causis indidit. idem de uasorum fictilium caelatorumque nominibus factum esse constat. qui grammatici de nominibus a Graecis tantum usurpatis disseruerunt nos hoc loco non morantur[1]; e Romanorum grammaticorum numero in primis

[1]) Diligenter de istis uerba fecit O. Iahnius in libro, cui titulus *Beschreibung der Vasensammlung Koenig Ludwigs* p. LXXXVIII.

laudandus est Nonius Marcellus, qui colligendis his nominibus strenuam impendit operam (p. 543 — 548). quo indice perlecto facile quiuis intelleget Nonium plurima nomina e Varronis libris traxisse atque praecipue ex eius de uita P. R. libris. sed Verrius quoque multorum uasorum nomina prodidit, quorum explicationes non semel cum iis, quas Varro dederat, congruunt. itaque minime irrito labore me fatigaturum spero, si congesta e Verrianis libris uasorum nomina cum iis contulero, quae Varro explicarat.

Paul. p. 2, 5 Armillum uas uinarium in sacris dictum, quod armo, id est umero, deportetur [1]).

p. 11, 11 Anclabris mensa ministeriis diuinis aptata. uasa quoque in ea, quibus sacerdotes utuntur, anclabria appellantur.

p. 11, 14 Arferia aqua, quae inferis libabatur, dicta a ferendo; siue uas uini, quod sacris adhibebatur.

p. 18, 11 Athanuuium est poculi fictilis genus, quo in sacrificiis utebantur sacerdotes Romani.

p. 20, 2 Ancaesa dicta sunt ab antiquis uasa, quae caelata appellamus, quod circumcaedendo talia fiunt. ipsum quoque caelare uerbum ab eadem causa est dictum D littera cum L permutata.

p. 21, 3 Arytaenam siue artenam uas ab hauriendo sic appellabant.

p. 24, 17 AVXILLA olla paruula.

p. 27, 15 ARISTOPHORVM uas, in quo prandium fertur, ut discus.

p. 28, 4 AENVLVM uas ex aere paruum.

p. 31, 1 Bacrionem dicebant genus uasis longioris manubrii. hoc alii trullam appellant.

Bacar uas uinarium simile bacrioni.

p. 36, 5 BVRRANICVM genus uasis. bucar similiter genus est uasis.

---

[1]) Non. p. 547, 11 *Armillum urcioli genus uinarii.* Varro de vita P. R. lib. I: *etiamnunc pocula, quae uocant capulas et capides, item armillum, quod est urcioli genus uinarii.*

p. 39, 3 Cocula uasa aenea, coctionibus apta. alii cocula dicunt ligna minuta, quibus facile decoquantur obsonia[1]).

p. 46, 17 Calpar genus uasis fictilis.

p. 65, 13 CALPAR uinum nouum, quod ex dolio demitur sacrificii causa, antequam gustetur. Iovi enim prius sua uina libabant, quae appellabant festa Vinalia[2]).

p. 47, 1 Calix, quod in eo calidum bibitur[3]).

p. 48, 9 Capis poculi genus, dictum a capiendo[4]).

p. 48, 18 Capruncululum uas fictile.

p. 50, 7 Cumerum uas nuptiale a similitudine cumerarum, quae fiunt palmeae uel sparteae ad usum popularem, sic appellatum.

p. 63, 11 CVMERAM uocabant antiqui uas quoddam quod opertum in nuptiis ferebant, in quo erant nubentis utensilia, quod et camillum dicebant[5]), eo quod sacrorum ministrum *κάσμιλον* appellabant.

p. 51, 1 Cuturnium uas, quo in sacrificiis uinum fundebatur.

---

[1]) Non. p. 531, 27 Varro de uita P. R. lib. I: *cocula, qui cocebant panem, primum sub cinere, postea in forno.*

[2]) Non. p. 547, 1 *Calpar nomine antiquo dolium.* Varro de uita P. R. lib. I: *quod, antequam nomen dolii prolatum, cum etiam id genus uasorum calpar diceretur, id uinum calpar appellatum.*

[3]) Varro *l. L.* 5, 127 *Calix a caldo, quod . . . caldum eo bibebant.*

[4]) Non. p. 547, 11 Varro de vita P. R. lib. I: *etiamnunc pocula quae uocant capulas et capides . . .* Varro *l. L.* 5, 121 *Capides et minores capulae a capiendo.*

[5]) Verba quod et camillum dicebant Merkelius censuit (Ouid. Fast. p. XCVII) a Paulo interpolata esse ex Ouid. *fast.* 4, 779 *tum licet adposita, ueluti cratere, camella Lac niueum potes purpureamque sapam.* pro uoce, quae est *camella*, nonnulli deteriores codices *camilla* offerunt, quam lectionem Paulum quoque secutum esse Merkelius arbitratus est. at Paulus si apud Ouidium uocem *camilla* legebat cur in Festi libros a se minutos intulit formam inauditam *camillum?* praeterea a me impetrare non possum ut credam Pauli mentem adeo delirasse, ut sinum lactis, quam significationem vocabulum *camella* apud Ouidium habet, suo Marte uoci cumerae aequiperaret. aliter res se haberet, si quis confirmare posset antiquis temporibus rusticos Romanos pro cumera usos esse camella sicut pro cratere. quo facto non dubitarim apud Paulum pro *camillum* scribere *camellam.* — de alia huius simili Merkeli suspicione cf. Winther *de fastis Verrii Flacci ab Ouidio adhibitis* p. 45, 1.

p. 98, 13 Gutturnium uas, ex quo aqua in manus datur, ab eo, quod propter oris angustias guttatim fluat.

p. 51, 2 Culigna uas potorium. Cato Culignam, inquit, in feno Graeco ponit, ut bene oleat.

p. 65, 2 CVLIGNA uas uinarium a Graeco dicta, quam illi dicunt *κύλικα*.

p. 51, 10 Cymbium poculi genus a similitudine nauis, quae *κυμβίς* dicitur, appellatum.

p. 105, 12 Irnela uasis genus in sacris.

p. 53, 10 Creterrae uocabulum trahitur a cratere, quod uas est uini [1]).

p. 115, 6 Lepista genus uasis aquarii [2]).

p. 115, 13 Lesbium genus uasis caelati a Lesbis inuentum.

p. 125, 18 Matula uas urinae.

p. 126, 3 Matellio deminutiuum a matula [3]).

p. 169, 11 Nassiterna est genus uasi aquari ansati et patentis, quale est quo equi perfundi solent. Plautus in Bacchidibus <*fr.* 4 L.>: Ecquis (haec quis *cod.*) euocat cum nassiterna et cum aqua istum impurissimum? et in Neruolaria <*immo, in Sticho* 352>: Ecquis huc effert nassiternam cum aqua sine suffragio? et Cato in ea oratione, quam composuit in Q. Sulpicium: Quotiens vidi trulleos (*Scal.*, truilos *cod.*), nassiternas, pertusos (*A. August.*, perfusos *cod.*) aqualis, matellas sine ansis [4]).

p. 169, 23 Naustibulum uocabant antiqui uas aluei simile uid[*elicet*] a nauis similitudine.

p. 176, 5 NANVM Graeci uas aquarium dicunt humile et concauum, quod uulgo uocant situlum barbatum, unde nani pumiliones appellantur [5]).

---

[1]) Non. p. 547, 26 Varro de uita P. R. lib. III: *ad Sybaritanam praedam, in qua sunt tripodes creterrae anancaea pocula nobilium toreutarum.*

[2]) Non. p. 547, 21 *Lepistae etiamnunc Sabinorum fanis pauperioribus plerisque aut fictiles sunt aut aeneae* (cf. l. L. 5, 123).

[3]) Varro *l. L.* 5, 119 *Accessit matellio a matula dictus et fictus.*

[4]) Non. p. 547, 3 Varro de uita P. R. lib. I: *itaque ea sibi modo ponere ac suspendere, quae utilitas postularet, trulleum, matellionem, peluim, nassiternam, non quae luxuriae causa essent parata.*

[5]) Varro *l. L.* 5, 119 *Nanus (magnas* codd.*) cum Graeco nomine et cum Latino nomine Graeca figura barbatus.*

p. 249, 14 [PRAEFERICVLVM uas] aeneum s[ine ansa patens summum uel]ut peluis, [quo ad sacrificia utebantur *in sacra*]rio Opis C[*onsiviae*].

p. 249. 17 [PATELLAE uasula parua picata] item sacris fa[ciendis apta, *humiles et patentes*] uelut capidul[*ae, sed ansis carentes*].

p. 337, 10 Simpulum uas paruulum non dissimile cyatho, quo uinum in sacrificiis libabatur, unde et mulieres rebus diuinis deditae simpulatrices [1]).

p. 365, 1 Tinia uasa uinaria [2]).

Haec uasorum nomina non omnia ad certorum poetarum uel scriptorum locos explicandos proposita esse uel inde perspici potest, quod plurima nomina uasorum, quibus in sacris perficiendis Romani utebantur, iis addita sunt. quare statuamus necesse est ea ex libro quodam excerpta esse, in quo de uasis uno ordine actum erat. statim uero in mentem uenit de illis libris cogitare, quos Varro de uita P. R. conscripsit, quos etiam apud Nonium in similem usum adhibitos videmus. nam Varronem in his libris de aliis quoque institutis et rebus fuse disputasse e Nonio efficere licet, apud quem haec legimus (p. 531, 15): *quos ritus* (nubentium) *Varro lib. I. de uita P. R. diligentissime percucurrit.* attamen fatendum est explicationes Verri cum iis, quas Varro dederat collatas in dubio nos relinquere et ut cauti simus monere. in easdem saepe angustias adducimur, cum definire conamur num Verrius Varronis de lingua Latina libros in usum suum adhibuerit. itaque etsi certi quid in hac re statuere non licet, id saltem probabile mihi uidetur ista uasorum uocabula certo cuidam auctori deberi, qui de iis data opera disseruerat. — sed fortasse dixerit quispiam uasorum, quorum explicationes composui, esse genera duo, unum eorum, quibus in uita cottidiana utebantur Romani, alterum eorum, quibus sacra administrabant; atque haud

[1]) Varro *l. L.* 5, 124 *Qui* (uinum) *sumebant minutatim, a sumendo simpulum nominarunt. in huiusce locum in conuiuiis e Graecia successit epichysis et cyathus; in sacrificiis remansit guttus et simpulum.*

[2]) Non. p. 544, 3 Varro de uita P. R. lib. I: *antiquissimi in conuiuiis utres uini primo, postea tinas ponebant, id est † mori longi cum operculo, ad cupas, tertio amphoras.*

uerisimile esse eundem scriptorem supellectilem hominum et deorum percensuisse: immo, sacra uasa cum iis sacris rebus coniungenda esse, quae passim a Verrio Flacco explicatae sint. quae sententia, etsi ueritatis quadam specie stabilita esse uideatur, tamen eo euertitur, quod uasorum explicationes nusquam inter glossas sacrarum rerum leguntur, quae in alterius litterarum singularum partis fine fere positae sunt. quod si factum esset, facili discrimine separatas uasorum explicationes diuersis auctoribus reddi oporteret.

2. Inter scriptores, quibus Verrius in explicandis rebus sacris usus est, auctoritate et dignitate maxime conspicuus est C. Ateius Capito, Flacci aequalis et iuris priuati publici diuini scientia isto tempore facile princeps. huius nomen cum inter glossas rerum sacrarum persaepe legamus, non dubito eius auctoritati tribuere haud paruum id genus glossarum numerum. quibus de causis fecerim, propositis explicationibus expediam.

p. 4, 16 Ambegni bos et uerbix appellabantur, cum ad eorum utraque latera agni in sacrificium ducebantur.

p. 4, 17 Ambidens siue bidens ouis appellabatur, quae superioribus et inferioribus est dentibus [1]).

p. 5, 1 Ambaruales hostiae dicebantur, quae pro aruis a duobus fratribus sacrificabantur.

p. 5, 2 Amburbiales hostiae appellabantur, quae circum terminos urbis Romae ducebantur.

p. 57, 1 CERVARIA ouis, quae pro cerua immolabatur.

p. 57, 19 CAVIARES hostiae dicebantur, quod † cauiae, id est pars hostiae [2]) cauda tenus, dicitur et ponebatur in sacrificio pro collegio pontificum quinto quoque anno.

p. 57, 21 CONFETA sus dicebatur, quae cum omni fetu adhibebatur ad sacrificium.

(p. 66, 16 Duidens hostia bidens) [3]).

[1]) Ex alio fonte profluxisse apparet hanc glossam (p. 33, 10) *Bidental* dicebant quoddam templum, quod in eo bidentibus hostiis sacrificaretur. bidentes autem sunt oues duos dentes longiores ceteris habentes (cf. Wissowa in *Encycl.* 3, 429. Krause (*de Romanorum hostiis quaestiones selectae* [Marpurgi 1894] p. 7).

[2]) *quod cauiae pars hostiae* coniecit Krause (*l. l.* p. 27).

[3]) Seclusi hanc glossam, quia fortasse carminis Saliaris est.

p. 100, 6 Hariuga[1]) dicebatur hostia, cuius adhaerentia inspiciebantur exta.

p. 102, 8 Hostia dicta est ab eo, quod est hostire ferire.

p. 124, 7 Medialem appellabant hostiam atram, quam meridie immolabant.

p. 126, 13 Maximam hostiam ouilli pecoris appellabant, non ab amplitudine corporis, sed ab animo placidiore[2]).

p. 186, 19 Optatam hostiam alii optimam, appellant eam, quam aedilis tribus constitutis hostiis optat, quam immolari velit.

p. 238, 11 PORCAM auream et argenteam dici ait Capito Ateius, quae et si numero hostiarum non sint, nomen tamen earum habere; alteram ex auro, alteram ex argento factam adhiberi sacrificio Ceriali.

p. 238, 16 PULCHER bos appellatur ad eximiam pinguitudinem perductus.

p. 238, 17 PROPVDIA*LIS*[3]) porcus dictus est, ut ait Capito Ateius, qui in sacrificio gentis Claudiae uelut piamentum et exsolutio omnis contractae religionis est.

p. 250, 9 PRODIGVAE hostiae vocantur, ut ait Veranius, quae consumuntur, unde homines quoque luxuriosi prodigi.

p. 250, 25 PRAESENTANEA (Presan *cod.*) porca dicitur, ut ait Veranius, quae familiae purgandae causa Cereri immolatur, quod pars quaedam eius sacrifici fit in conspectu mortui eius, cuius funus instituitur.

p. 285, 31 RVTILAE canes, id est non procul a rubro colore, immolantur, ut ait Ateius Capito canario sacrificio pro frugibus deprecandae saeuitiae causa sideris caniculae.

p. 293, 10 Solitaurilia hostiarum trium diuersi generis immolationem significant, tauri arietis uerris, quod omnes eae solidi integrique sunt corporis; contrari <*boues*> uerbices maiales-

---

[1]) Sic Thewrewkius scripsit secutus fortasse Varron. *l. L.* 5, 98 ubi F hanc formam seruauit; Pauli uero codices formam ***haruiga*** praebere videntur.

[2]) Cur haec hostia maxima dicta sit, recte explicauit Mercklinus (*ind. scholar. Dorpat.* 1860 *p.* 6) collatis glossis, quae sunt p. 144, 4. 202, 11. 213, 18. Verri explicatio probatur Krausio *l. l.* p. 3.

[3]) Sic codicis lectionem *Propudi ait* emendarunt Bugge (*Fleckeisen. annal.* 105 [1872] p. 105) et Reitzensteinius (p. 29).

que[1]), quia sollum (solium *cod. ex rasura*) Osce totum et soldum (solodum *cod.*) significat . . . *cet.*

p. 223, 19 Praecidanea agna vocabatur, quae ante alias caedebatur. item porca, quae Cereri mactabatur ab eo, qui mortuo iusta non fecisset, id est glebam non obiecisset, quia mos erat eis id facere, priusquam nouas fruges gustarent (cf. p. 218, 17).

p. 303, 3 Succidanea hostia dicebatur, quae secundo loco caedebatur, scilicet sic appellata a succedendo.

(glossae quae sunt p. 318, 7 Sacrem porcum et p. 371, 6 Victimam ab hoc censu prohibui, quia a grammaticis, non a pontificibus dictatae sunt.)

Ex his explicationibus eae, quae in altera litterae suae parte leguntur, commixtae sunt aliis glossis ad sacra spectantibus. hae glossae magnam partem sese ductas esse confitentur ex libris Atei Capitonis, Verani, Antisti Labeonis, Messallae. de glossis hostiarum agi solebat in libris de iure pontificio uel sacrificiorum[2]) et scripserat Veranius quidem libros quaestionum pontificalium[3]), Antistius Labeo de iure pontificio[4]), Ateius Capito item de iure pontificio[5]). Labeonis uero nomen in glossis, quas in unum coegi, non occurrit neque est cur ei has explicationes tribuamus. at legimus praeter Capitonis nomen Verani, cuius etiam libros augurales aliis locis Verrius commemorat. itaque Verrium eiusdem quaestionibus pontificalibus uti potuisse inconsulti foret negare. sed easdem quaestiones in usum suum adhibere potuit Capito, Verri, ut dixi aequalis, id quod, quoniam de iisdem rebus ac Veranius acturus erat, sane non omiserit[6]). hoc modo fieri potuit, ut Flaccus, cum Atei

---

[1]) In codice haec uerba ita leguntur: *contra aci verbices . maiales . qui.* integram explicationem restituere conatus est Krause (*l. l.* p. 17).

[2]) Cf. etiam Marquardt 3, 172.

[3]) Reitzensteinius p. 49, 1.

[4]) Ioers in *Wissow. Encycl.* 1, 2550.

[5]) Ioers *l. l.* 2, 1906.

[6]) Consentaneum est quod haec glossa docet p. 351, 16 Stellam significare ait Ateius Capito laetum et prosperum, auctoritatem secutus P. Seruili auguris, stellam quae ex lamella aerea adsimilis stellae locis inauguratis infigatur.

libros excerpendos sibi sumpsisset, haud semel Verani nomen legeret et, ut delectabatur auctorum nominibus adferendis, explicationibus suis intexeret. nam saepissime ei agere placebat hac ratione, quae satis superque comprobatur illustri illa glossa, quae est p. 266, 13 Romam et sola fortasse a Festo minuta non est. semotis iam Verani et Labeonis libris restant Capitonis, quibus Verrium saepius usum esse docent coniunctae illae tres glossae p. 238, 11—238, 20 et aliae duae glossae, quas item supra perscripsi. itaque si his Capitonis libris glossas modo propositas tribuam non nimis confidenter iudicare mihi uideor.

3. Supra monui hostiarum glossas saepe cum aliis glossis sacris coniunctas esse. inter has primum locum obtinent explicationes, quae ad auguria spectant et propter copiam et auctoritatem maximi sunt momenti. quas glossas, quoniam a Paulo Regellio una cum ceteris librorum auguralium fragmentis congestae et propositae sunt [1], gratam me uix cuiquam rem facturum esse censeo, si denuo collegero. mearum uero partium esse videtur, ut qui harum glossarum auctores fuerint inquiram. ac primum quidem uideamus de glossis, quibus fulgorum diuersa genera explicantur. cum his Reitzensteinius ancipiti Marte rem egit, nam modo earum plurimas Caecinae modo maiore cum confidentia Ateio Capitoni uindicauit (p. 26 et 53). quae dissensio inde nata est, quod aliae explicationes ac praecipue eae, quae in primis litterarum suarum partibus positae sunt, eadem nos de fulgoribus docent ac quae in Senecae Quaestionibus naturalibus e Caecinae de Etruscorum disciplina libro hausta legimus, aliae eaeque in alteris litterarum partibus positae adeo glossis e Capitonis libris profectis irretitae sunt, ut quicumque alterarum partium compositionem pernouit has glossas seiungi uetet. exempli gratia indico glossas, quae leguntur p. 245, 14—23: prima

[1]) P. Regell. *Fragmenta auguralia.* Ceruimonti 1882. primam fragmentorum partem idem addito commentario retractavit (*Commentarii in librorum auguralium fragmenta specimen.* eodem l. 1893). Verrianas glossas sedulo composuit; omisit modo unam, quae est p. 552, 18 Th. Templi figura.

glossa explicatur, quid sit portentum, tribus quae subsecuntur aliis de fulgoribus quibusdam agitur, quae portenta sunt, uidelicet de fulgoribus postulariis, pestiferis, peremptalibus. atque cum primam illam glossam ab Ateio dictatam esse Reitzensteinius comprobarit, non est cur tres alias a Capitone alienas esse statuamus; atque Reitzensteinius recte fecit, quod has glossas postremo illi reddidit una cum aliis, quas primo Caecinae dederat. — aliter res se habebit, si unde glossae, quae in primis litterarum partibus leguntur, originem traxerint, indagare uolemus. in censum ueniunt hae glossae: p. 12, 5 Adtestata. p. 75, 14 Dium fulgur. p. 129, 16 Manubiae. p. 214, 22 Peremptalia fulgura. p. 229, 1 Prouorsum fulgur. p. 352, 6 [*T*]risulcum. quae glossae omnes auctoris nomine carent praeter unam, quam integram adponere libet: p. 214, 22 Peremptalia fulgura Graccus ait uocari, quae superiora fulgura aut [ut *cod.*] portenta ui sua peremant duobus modis, prioribus tollendis, aut maiore manubia, ut tertia secundae, secunda primae cedat. nam ut omnia superentur fulgure, sic ictum fulgur < *maioribus* > manubiis uinci[1]. — si nomen Gracchi recte traditum est, non de tribuno plebis cogitare licet, cuius ex orationibus uocabula sermonesque in alteris tantum litterarum partibus explicantur. nam talis explicatio qualis hoc loco effertur, a Sempronio prorsus aliena est. fuerunt qui pro *Graccus* legendum esse censerent *Granius* (cf. Mueller ad h. l. et Teuffel § 199, 7). quae futtilis coniectura nihil nos iuuat; nam, etsi Grani nomen alio quoque loco occurrit (p. 277, 6), nullo argumento euincitur eum de fulgoribus Etruscaue disciplina quicquam tradidisse[2]. sed etiamsi nomen istud restituere non licet, tamen adfirmare licet glossas, quas indicaui, semper eum talibus glossis coniunctas esse, quae sese ab Aeliis Stilone

[1]) Pro *Graccus* in edit. Thewrewki legitur *Grapus;* quae lectio, licet in apographis X quaternionis inueniatur, non aliud nomen commendat quam Gracchi. post *omnia* non necesse est cum Muellero vocabulum *omina* supplere, namque *portenta* subaudiendum est (cf. Regell *comment. spec.* p. 12, 9).

[2]) Cf. *Iurisprudentiae antehadrianae quae supersunt* ed. Bremer 1, 260.

aut Gallo dictatas confitentur. praeterea hae glossae numero tam paucae tamque disiectae sunt, ut uix uerisimile sit eas certo auctori deberi nisi grammatico cuidam, qui eas data occasione explicarat. quam tralaticia uero de fulgoribus doctrina fuerit animaduertemus, cum inter se comparauerimus glossam modo a me relatam et hanc Atei Capitonis explicationem (p. 245, 22) PEREMPTALIA (*fulgura*), quae superiora fulgura aut [ut *cod.*] portenta peremunt, id est tollunt. quae duae glossae, cum sine dubio diuersis auctoribus debeantur [1]), nos commonent, quo pacto factum sit, ut explicationes quae apud Verrium legebantur cum iis quas Caecina dederat saepe congruant. itaque cum Caecinae nomen nusquam apud Festum Paulumue legatur atque quae in alteris litterarum partibus de fulgoribus datae sunt explicationes Capitoni tribundae sint, neminem fore arbitror quin mihi adsentiatur, cum Caecinae inter Verri auctores locum esse negavero. neque erat cur Verrius animum intenderet ad ea, quae Caecina de Etrusca disciplina tradiderat. nam uocabula auguribus populi Romani usitata explicare uolebat eaque sola explicauit; Etruscorum uocabula non curauit neque quid significarent opus erat expedire, cum Verri aetate Etruscorum de fulgoribus disciplina non iam Romae diuulgata esset.

Nunc ad ceterarum auguralium glossarum indicandos auctores adgrediamur et ita quidem, ut iterum singularum litterarum binas partes diligenter inter se habeamus seiunctas. citantur in his glossis libri uel commentarii augurales p. 270, 30 [Rumentum *in augur*]alibus. p. 317, 31 Sanqualis auis . . . [*in com*]mentaris augura[*libus*]. p. 322, 16 [Sa]rte in augu[*ralibus*]. p. 333, 9 Spectio in auguralibus. Verrium has glossas non ex ipsis augurum commentariis, ad quos libertino ei aditus minime patebat, exscripsisse suapte natura consentaneum est [2]) atque comprobatur per aliam glossam, quae in altera litterae suae parte legitur p. 253, 2 PALVDATI in libris auguralibus significat, ut ait

[1]) Cf. Reitzensteinius p. 75, 2.

[2]) Cf. Wissowa in *Encycl.* 2, 2324.

Veranius, armati, ornati. omnia enim militaria ornamenta paludamenta dici. — inter alias multas de auguriis glossis, quae in prioribus litterarum suarum partibus sunt, tres tantum inueniuntur, quae auctoris nomen prae se ferant. has, quoniam in hac re maximi momenti sunt, omnibus uerbis repetam oportet

p. 197, 8 Oscines aues Ap. Claudius (Claudianus *apographa*) esse ait, quae ore canentes faciant auspicium, ut coruos, cornix, noctua; alites (aut *apographa*), quae alis ac uolatu, ut buteo, sanqualis, aquila, immissulus, uulturius; picus autem (*Muellerus* picam aut *apographa*) Martius Feroniusque et parra et in oscinibus et in alitibus habentur.

p. 297, 19 [*Soni*]uium tripu[*dium, ut ait Appius*] Pulcher, quod [*sonet cum pullo exci*]dit puls (plus *cod.*) quadr[*upediue* . . .

p. 298, 26 Sollistimum Ap. Pulcher in auguralis disciplinae libro primo ait esse tripudium, quod [1]) aui (aut *cod.*) excidit ex ore (eo *cod.*), quod illa fert, saxumue solidum aut arbos uiuiradix ruit, quae nec prae uitio [2]) humanaue ui (humani *cod.*) caedanturue iacianturue pellanturue.

Prima glossa geminas alias edidit, quae his uerbis conceptae sunt:

p. 197, 3 Oscinum tripudium est, quod oris cantu significat quid portendi, cum cecinit coruus, cornix, noctua, parra, picus.

p. 3, 5 Alites uolatu auspicia facientes istae putabantur: buteo, sanqualis, immusulus, aquila, uulturius.

App. Claudius Pulcher Ciceronis aequalis erat ad eumque a. 51 auguralis disciplinae libros misit, id quod ex ipsis Ciceronis epistulis compertum habemus [3]). his igitur libris Verrius quoque in componendis prioribus litterarum partibus usus est. atque omnes uel certe plurimas de auguriis auibusque explicationes, quae in iis partibus leguntur, ex illis libris

---

[1]) Muellerus apte coniecit *quom.*

[2]) Nescio cur Regellius pro his uerbis scribendum esse censeat (*Comment. Reifferscheid.* p. 63) *praevortio,* uocabulum alias sane inauditum. nam cur arborem prae uitio cadere dicere quis nequeat Latine, praesertim in sermone augurali, qui in aliis quoque a uulgari sermone differt?

[3]) Cf. Bremer *l. c.* 1, 243.

originem traxisse sine erroris metu adfirmare ausim. nam nusquam hae glossae inter se pugnant, saepius uero sibi respondent seseque supplent. Claudius etiam augurales commentarios perbene nouerit, cum quo tempore libros emisit per octo annos iam auguratum gessisset.

Multo uero maiorem auguralium glossarum numerum in alteris singularum litterarum partibus inuenimus et fausta fortuna factum est, ut non paucarum glossarum auctorum nomina nobis seruentur. quibus nominibus Reitzensteinius sagaciter usus rem eo perduxit, ut suas cuique auctori glossas redderet. atque hi auctores sunt Ateius Capito Veranius Messalla [1]), quorum explicationes eodem fere sibi succedunt ordine, quo nomina posui. quae Messallae debentur glossae finem litterae suae occupant semper, nisi quod in fine glossarum per S incipientium Messallae explicationibus duae postpositae sunt Capitonis nomine insignitae. haec de illis glossis adtulisse satis est, quoniam cetera de iis docte et dilucide a Reitzensteinio expedita sunt.

4. Etsi in alteris litterarum partibus sacrae glossae praeualent, tamen aliarum quoque glossarum haud exiguus in iis inest numerus, quique maximam partem e Varronis libris exscriptus est. hae glossae saepe sese adplicant ad alias in prioribus litterarum partibus explicatas. sic tribuum explicationes in utrisque diuersarum litterarum partibus leguntur sicut etiam praenominum, quas iam Reitzensteinius congessit (p. 24. 25). nescio cur idem uir doctus non adiunxerit cognomina, quae item Varronis e libris hausta sunt: nam facile cum praenominibus coniunguntur (cf. Reitzensteinius p. 24). quare non inutile erit ea hoc loco proponere siue in priore siue in altera litterae suae parte leguntur.

---

[1]) Praeter hos semel Antistius Labeo citatur (p. 290, 10); in eadem explicatione alius quoque auctoris nomen additum erat, quod monent uerba *ut ait* . . . (p. 290, 7). hoc loco Ap. Pulchri nomen supplendum esse coniecit Vrsinus (p. 405 M.), Varronis nomen mauult Merkelius (*ad Ouid. fast.* p. CXVI). sed ueri similius est hoc loco nomen Verani uel Capitonis excidisse.

p. 12, 9 Attae appellantur, qui propter uitium crurum aut pedum plantis insistunt et attingunt magis terram quam ambulant. quod cognomen Quintio poetae adhaesit.

p. 41, 9 Cossi ab antiquis dicebantur natura rugosi corporis homines, a similitudine uermium ligno editorum, qui cossi appellantur.

p. 43, 10 Chilo dicitur cognomento a magnitudine labrorum, Cilo sine aspiratione, cui frons est eminentior ac dextra sinistraque ueluti recisa uidetur.

p. 57, 13 CAESONES appellantur ex utero matris exsecti.

p. 57, 14 CAESAR, quod est cognomen Iuliorum, a caesarie dictus est, qui scilicet cum caesarie natus est.

p. 88, 8 Falcones dicuntur, quorum digiti pollices in pedibus intro sunt curuati, a similitudine falcis (cf. p. 43, 14).

(p. 117, 6 Laeua sinistra, quam Graeci *σκαιάν*. unde tractum cognomen Scaeuola *cet.*)

p. 182, 13 Orata genus piscis appellatur a colore auri, quod rustici orum dicebant, ut auriculas oriculas. itaque Sergium quoque quendam praediuitem, quod et duobus anulis aureis et grandibus uteretur, Oratam dicunt esse appellatum.

p. 225, 2 Proculum inter cognomina eum dicunt, qui natus est patre peregrinante a patria procul. Proculos sunt qui credant ideo dictos, quia patribus senibus quasi procul progressis aetate nati sunt.

(p. 226, 11 Priscus Tarquinius est dictus, quia prius fuit quam Superbus Tarquinius.)

p. 238, 2 POSTVMVS cognominatur post patris mortem natus.

p. 375, 15 Valgos Opilius Aurelius aliique complures aiunt dici, qui diuersas suras habeant *cet.*

Aliae glossae Varronianae, quae in alteris litterarum partibus inueniuntur, praecipue ex eius Antiquitatum rerum humanarum libris sumptae sunt; qui libri in prioribus partibus nunquam, at in alteris quinquies citantur:

p. 158, 26 (MVRRATA potione) Varro in Antiquitatum l. I.

p. 246, 33 (PRO censu) M. Varro in l. VI. rerum humanarum.

p. 249, 8 (PRAEROGATIVAE centuriae) Varro rerum humanarum l. VI.

p. 347, 33 (SVFFRAGATORES) Varro in l. VII. rerum humanarum.

p. 348, 30 (SEPTIMONTIO) Varro rerum humanarum l. VIII.

quae cum ita sint, uix dubium esse potest, quin aliae tres glossae, quibus Varronis nudum additum est nomen, ex iisdem libris sumptae sint: p. 343, 32 (SABINI) Varro. p. 351, 23 (TAVRI ludi) Varro. p. 351, 28 (TALASSIONEM) Varro.

His Varronis libris paruum glossarum gregem, qui per utrasque singularum litterarum partes dispertitus est, uindicare magnopere uellem, quoniam aliis rebus, quae a Varrone in iis libris tractatae erant, respondent arteque inter se conexae uidentur. en has:

p. 49, 9 Curionium aes dicebatur, quod dabatur curioni ob sacerdotium curionatus.

p. 64, 12 CONTRARIVM aes, graue aes.

p. 65, 18 CAPITARIVM aes, quod capi potest [1]).

p. 69, 17 Dirutum aere militem dicebant antiqui, cui stipendium ignominiae causa non erat datum, quod aes diruebatur in fiscum, non in militis sacculum.

p. 81, 13 Equestre aes, quod equiti dabatur.

p. 98, 1 Graue aes dictum a pondere, quia deni asses, singuli pondo libras, efficiebant denarium, ab hoc ipso numero dictum. sed bello Punico populus Romanus, pressus aere alieno, ex singulis assibus librariis senos fecit, qui tantundem ut illi ualerent. item nummi quadrigati et bigati a figura caelaturae dicti.

p. 102, 9 Hordiarium aes, quod pro hordeo equiti Romano dabatur.

p. 108, 16 Inpensam stipem, aes sacrum, quod nondum erat pensum.

p. 119, 9 Lucar appellatur aes, quod ex lucis captatur.

p. 165, 27 Nexum aes apud antiquos dicebatur pecunia, quae per nexum obligatur.

p. 210, 1 Piscatorium aes uetusto more appellatur, quod in monte Albano datur pro piscibus.

p. 221, 13 Pararium aes appellabatur id, quod equitibus duplex pro binis equis dabatur.

---

[1]) Haec Pauli verba Bugge corrigere conatus est coniciendo *quod pro capite est* (*Fleckeiseni annal.* 105 [1872] p. 94).

p. 285, 21 RESIGNATVM aes dicitur militi, cum ob delictum aliquod iussu tribuni militum ne stipendium ei detur in tabulas refertur; signare [1]) enim antiqui pro scribere interdum ponebant.

p. 344, 33 SACRAMENTVM aes significat, quod poenae nomine penditur, siue eo quis interrogatur siue contendit *(Mommsenus* contenditur *cod.)*; id in aliis rebus quinquaginta assium est, in alis rebus quingentorum inter eos, qui iudicio inter se contenderent . . . sacramenti autem nomine id aes dici coeptum est, quod et propter aerari inopiam et sacrorum publicorum multitudinem consumebatur id in rebus diuinis.

p. 360, 20 Taurium aes dicunt, quod in ludos taurios (tauricos *cod.*) consumitur.

p. 371, 9 Vectigal aes appellatur, quod ob tributum et stipendium et aes equestre et hordiarium [2]) populo debetur.

p. 379, 1 VXORIVM pependisse dicitur, qui quod uxorem non habuerit, res populo dedit.

Varia haec aeris genera olim uno loco proposita explicataque fuisse docere videntur duae glossae sequentes, quae facile cum cognatis sibi explicationibus coniungi potuerant. cum glossa Lucar p. 119, 9 confer glossam p. 119, 6 Lucaris pecunia, quae in luco erat data. item similes inter se sunt explicationes p. 165, 27 Nexum et p. 165, 20 Nexum est, ut ait Gallus Aelius, quodcumque per aes et libram geritur *cet.* Verrius, nisi in explicandis his uocabulis diuersos auctores secutus foret, certe non binis locis de iis egisset. ut uero Varronem harum glossarum statuamus auctorem, suadent ea, quae ipse de tribus vocabulis a Verrio quoque explicatis disseruit arte cum Festi Paulique uerbis conexa. quid sit nexum Varro ita explicuit *(L. L.* 7, 105*) Nexum Manilius* (Laetus *Mamilius* F) *scribit omne quod per libram et aes geritur, in quo sint mancipia; Mucius, quae per aes et libram fiant ut obligentur, praeter quom* (Spengel *quam* libri)

---

[1]) Verba *ne stipendium ei detur* apud unum Paulum leguntur, qui alia ac Farnesinus praebet memoria usus esse uidetur, cum etiam ueram lectionem *signare* praebeat pro *resignare,* quod in Farn. est.

[2]) Apographa praebent *hordiar* vel *hordia,* quod recte suppleuit Waltherus (*apud Muell.* p. 414).

mancipio detur. hoc uerius esse ipsum uerbum ostendit, de quo quaeritur; nam id est quod obligatur per libram neque suum fit: inde nexum dictum. dedit igitur Varro duas explicationes, quas a Manilio et Mucio mutuatus erat. Manili explicationem prior Verri glossa mutato auctoris nomine reddit, altera glossa Muci explicationem repetit e Varronis libris haustam. similiter alia Varronis explicatio cum Verriana conspirat. quae p. 69, 17 apud Paulum de milite aere diruto legimus haud dissimilibus uerbis a Varrone quoque concepta inueniemus, si Noni uolumina inspexerimus, qui hoc scribit (p. 532, 5): Varro de uita P. R. lib. II. *stipendium appellabatur aes quod militi semenstre aut annuum dabatur; cui datum non esset propter ignominiam, aere dirutus.* eadem denique, quae apud Paulum de graui aere legimus, Varro obiter ita tradit (*d. r. r.* 1, 10, 2) Habet iugerum scripula CCLXXXVIII, quantum as antiquos noster ante bellum Punicum pendebat.

Haec sunt argumenta, quibus stabilire possum sententiam, quam supra tuli, uariorum aeris generum explicationes a Varrone profectas esse. cui sententiae uix quicquam obesse uidetur; nam cum Varro in Antiquitatum libris de tot populi Romani rebus institutisque ageret, cur non item explicationes modo propositas dare potuit? accedit quod eum in hisce libris de rebus haud absimilibus uerba fecisse certo scimus, id quod continuo longius prosequemur.

Iam in iudicium uocare libet nonnullas glossas item in alteris litterae suae partibus positas, de quibus magna cum contentione ab illis uiris doctis disputatum est, qui rei nummariae Romanorum antiquiori operam nauarunt. quas glossas integras huc transferre opus esse uidetur.

p. 202, 11 OVIBVS duabus multabantur apud antiquos in minoribus delictis, ut in maioribus XXX bobus *(A. August.* maioribus ambobus *apographa),* nec hunc ultra numerum excedebat multatio; sed (quae *apographa*) posteaquam aere signato uti ciuitas coepit pecoraque multaticia incuria[1]) corrumpebantur,

[1]) Pro his uerbis Mommsenus coniecit *malitia aut incuria* (apud Brunsium *Fontes iuris R.* 2, 21, 7).

unde etiam peculatus crimen usurpari coeptum est, facta aestimatio pecoralis multae et boues centenis assibus oues denis aestimatae. inde suprema multa, id est maxima, appellatur tria milia aeris; item uicessis minoribus delictis.

p. 237, 13 PECVLATVS furtum publicum dici coeptus est a pecore, quia ab eo initium eius fraudis esse coepit, siquidem ante aes aut argentum signatum ob delicta poena grauissima erat duarum ouium et XXX bouum; eam legem (ea lege *cod.*) sanxerunt T. Menenius Lanatus et P. Sestius Capitolinus consules; quae pecudes, postquam aere signato uti coepit P. R., Tarpeia lege cautum est, ut bos centussibus, ouis decussibus aestimaretur.

Vnde Verrius harum rerum scientiam traxerit, liquido nobis constabit, si litterarum thesauros a Gellio congestos adiuerimus. is haec fere refert (11, 1): Timaeus in historiis . . . et M. Varro in Antiquititatibus rerum humanarum terram Italiam de Graeco uocabulo appellatam scripserunt, quoniam boues Graeca uetere lingua *ἰταλοί* uocitati sint, quorum in Italia magna copia fuerit, bucetaque in ea terra gigni pascique solita sint complurima[1]. coniectare autem possumus ob eandem causam, quod Italia tum esset armentosissima, multam, quae appellatur suprema, institutam in dies singulos duarum ouium, boum triginta, pro copia scilicet boum proque ouium penuria. sed cum eiusmodi multa pecoris armentique a magistratibus dicta erat adigebanturque boues ouesque alias pretii parui, alias maioris eaque res faciebat inaequalem multae poenitionem. ideo postea lege Aternia constituti sunt in oues singulas aeris deni, in boues aeris centeni. minima autem multa est ouis unius. suprema multa est eius numeri, cuius diximus . . . et propterea suprema appellatur, id est summa et maxima. quando igitur nunc quoque a magistratibus populi R. more maiorum multa dicitur uel minima uel suprema, obseruari solet, ut oues genere uirili appellentur[2]; atque ita M. Varro uerba haec legitima,

---

[1]) Eandem de appellatione Italiae sententiam tulit Verrius p. 106, 7. cf. etiam Varr. *r. r.* 2, 5, 3.

[2]) Idem Verrius p. 195, 5 *Ouem masculino genere dixerunt, ut ouibus duobus, non duabus.*

quibus minima multa diceretur, concepit: *M. Terentio, quando citatus neque respondit neque excusatus est, ego ei unum ouem multam dico.* ac nisi eo genere diceretur, negauerunt iustam uideri multam. uocabulum autem ipsum multae idem M. Varro in uno uicesimo rerum humanarum non Latinum, sed Sabinum esse dicit[1]).

Cum his componenda sunt quae scribit Nonius (p. 216, 25) *Oues generis . . . masculini.* Varro Rerum humanarum lib. XXII[2]): *Vt etiam multantibus, qui oues duos, non duas dicunt, Homerum secutis, qui ait* <*Ψ* 31> *Πολλοὶ δ' ὄιες. idem* Terentio, quando citatus neque respondit, ei ego unum ouem multam dico.

Quae Gellius de maxima et minima multa narrat non ex eodem Rerum humanarum libro hausisse uidetur atque ea quae de multae uocabuli origine tradidit. haec e libro XXI profecta esse confitetur ipse, at unde antecedentes explicationes sumpserit non accurate indicat. sed cum in his eadem indicendae multae formula legatur, quam apud Nonium ex XXII libro haustam inuenimus, non negari potest has explicationes ex hoc libro tractas esse. Varronis igitur haec cum uerbis e Verri libris exscriptis ab omni fere parte consentiunt et eximie ea augent. monendum tamen est a Gellio nulla uerba fieri de lege a T. Menenio et P. Sestio consulibus a. 452 lata, quam Verrius una cum lege a Sp. Tarpeio et A. Aternio consulibus a. 454 sancta commemorat. at vix credi potest grauissimam hanc legem a Varrone temere omissam esse verique similius est Gellium vel auctorem, quem Gellius expilauit, hanc legem a Varrone commemoratam aspernatum esse. — aliam harum legum memoriam prodidit Cicero, haec scribens (*de re publ.* 2, 60) Gratamque etiam illam legem . . . de multa et sacramento Sp. Tarpeius et A. Aternius consules comitiis centuriatis tulerunt. annis postea XX ex eo, quod L. Papirius P. Pinarius censores

[1]) Cf. Verrius in priore parte M litterae (p. 142, 21): ***Multam Osce dici putant poenam quidem. M. Varro ait poenam esse, sed pecuniariam, de qua subtiliter in libro I. Quaestionum epist. refert.***

[2]) Hic numerus optime traditus est; cf. editionem Onionsi, quam in exscribendis Noni uerbis secutus sum.

multis dicendis uim armentorum a priuatis in publicum auerterant, leuis aestumatio pecudum in multa lege C. Julii P. Papirii consulum <a. 430> constituta est. hos consules legem de multae aestimatione tulisse item Liuius scribunt (4, 30, 3) et Dionysius (10, 50). Varro autem eumque secutus Verrius hanc legem Tarpeio et Aternio consulibus uindicant illamque legem, quam Cicero iisdem consulibus tribuit, a Menenio et Sestio latam esse adfirmant. quarum omnium legum ratio cum mire confusa et impedita sit, Mommsenus controuersiam ita diiudicat, ut omnes has leges praeter eam, quam Iulius et Papirius tulerint, ab antiquitatum scriptoribus confictas esse censeat [1]. ultro uero processit Samwerus, qui etiam hanc legem ementitam esse adfirmare non dubitarit [2]. qui uiri docti in has leges non propterea modo, quod pugnant inter se, tam rigidos sese praestiterunt censores, sed etiam quia sententiis, quas illi de nummorum apud Romanos origine et aetate laturi erant, non ubique fauere uidebantur. sed hodie scimus has leges ad antiquiorem rei nummariae Romanorum statum cognoscendum ne minimi quidem momenti esse. nam Samwerus ipse liquido comprobauit in duodecim tabularum legibus poenas ad aeris libras exactas fuisse [3]. hae poenae quantae essent, nudis numeris expressum erat, ita ut ii, qui postea has leges commentati sunt, hos numeros explicare deberent. ut exemplum adferam, Verrius ex Aeli Stilonis in XII tabulas commentario haec exscripsit (p. 371, 5) Viginti quinque poenae in XII significat viginti quinque asses. asses scripsit, quia Romanorum grammatici et antiquitatum scriptores asses inde a Seruio Tullio signatos esse arbitrabantur et quia as antiquissimus re uera libram pendebat [4]. itaque si illi

---

[1]) *Geschichte des römischen Münzwesens* p. 176. *Staatsrecht* 2^{3} p. 69.

[2]) *Geschichte des älteren römischen Münzwesens* p. 15.

[3]) *L. c.* p. 20.

[4]) Non illam quidem libram 327.45 grammatum, sed antiquiorem 273 grammatum. cf. Pernice *Galeni de ponderibus et mensuris testimonia* p. 40. Nissen *Handbuch der Altertumswiss.* 1^{2} p. 886. Lehmann *Wochenschr. f. kl. Philol.* 5 (1888) p. 1522. nescio cur Kubitschekius hanc sententiam impugnet et nullis quidem prolatis causis (*Wissow. Encycl.* 2, 1509). nullo

homines, qui XII tabulas perscripserunt, libras numeris modo indicarunt, persuasum sibi habebant fore, ut legentes quid hi numeri sibi uellent statim intellegerent. quare adpensi aeris usum iam diu apud Romanos cognitum fuisse, cum leges XII tabularum latae sunt, necesse est ut statuamus. atque rude hoc aes iam antiquissimis temporibus ab aliis quoque Italiae populis ad commercia peragenda adhibitum esse docemur aheneis quibusdam massis ad hanc usum olim destinatis, quas Zannonus in prisco dolio una cum multis aheneis instrumentis repperit [1]. — quae cum ita sint, mirum sane uideri posset multas apud Romanos quinto demum a. Chr. n. saeculo aestimatas esse. si uero nobiscum reputauerimus adpensum aes et pecudes, ubi certa ratione inter se coaequata sunt, nummorum uicem perbene simul gerere posse atque apud Romanos nihil tanta diuturnitate constantiaque fuisse quam legum praecepta, nihil nos impedit ne concedamus multas tum demum aere pensas esse. itaque illas de suprema et minima multa et de multarum aestimatione leges re uera latas esse non est cur infitiemur. illae uero de his legibus controuersiae, quas diiudicare non iam possumus, inde fortasse natae sunt, quod Cicero et Liuius annalium Romanorum memoriam secuti sunt, Varro autem ea in usum suum conuertit, quae de iis legibus apud Timaeum legerat. nam Varronem una cum his legibus Timaei libros citasse e Gelli uerbis colligere licet atque fortasse huc ea quoque trahenda sunt quae Plinius scribit (*n. h.* 33, 43): *Seruius rex primus signauit aes, antea rudi usos Romae Timaeus tradit* [2].

---

pacto ea stare possunt, quae de assis antiquissimi forma et pondere nuper tanta cum fiducia adseuerauit Ridgeway (*the origin of metallic currency and weight standards* p. 353 — 362).

[1]) Cf. A. Zannoni *la fonderia di Bologna* (1888) p. 47. 59. tabb. 51 — 54. ut apud Italos aes rude, ita apud Phoenices argentum rude perdiu in usu fuit (Movers *Phönizier* 2, 3, 28).

[2]) Idem proxime adfirmauit Muenzerus *Beiträge zur Quellenkritik der Naturgeschichte des Plinius* p. 307. cum his coniungas, quae Wissowa recte monuit (*Herm.* 22, 41, 1): *Man wird nicht irren, wenn man annimmt, dass die meisten bei lateinischen Autoren erhaltenen Timaeusfragmente durch*

Cum glossis (p. 202, 11) OVIBVS duabus et (p. 237, 13) PECVLATVS, quarum qui auctor fuerit, docuisse mihi uideor, tres aliae explicationes in priore litterarum suarum parte positae adeo cognatae sunt, ut ab iis nullo modo seiungi possint. has dico glossas:

p. 24, 12 Aestimata poena ab antiquis ab aere dicta est, qui eam aestimaverunt aere, ouem decursis, bouem centussis, hoc est decem vel centum assibus.

p. 144, 4 Maximam multam dixerunt trium milium et uiginti assium, quia non licebat quondam pluribus triginta bobus et duabus ouibus quemquam multari, aestimabaturque bos centussibus, ouis decussibus.

p. 213, 18 Peculatus est nunc quidam qualecumque publicum furtum, sed inductum est a pecore, ut pecunia quoque ipsa. iam (nam *Vrsin.*) etiam noxii pecore multabantur, quia neque aeris adhuc neque argenti erat copia. itaque suprema multa etiam nunc appellatur . . . (*reliqua desunt*).

5. Quibus expositis unum modo glossarum examen congregabo dignitate prae ceteris conspicuum. sunt enim de deorum dearumque cognominibus et nominibus atque omnes in prioribus singularum litterarum partibus leguntur. itaque ut re sic etiam loco, quem occupant, sese cognatas profitentur.

p. 22, 14 Apellinem antiqui dicebant pro Apollinem.

p. 22, 15 Aperta idem Apollo uocabatur, quia patente cortina responsa ab eo dentur.

p. 43, 16 Camenae Musae a carminibus sunt dictae, uel quod canunt antiquorum laudes, uel quod sunt castae mentis praesides.

p. 51, 14 Cybebe Mater, quam dicebant Magnam, ita appellabatur, quod ageret homines in furorem, quod Graeci κύβηβον dicunt.

Varro hindurchgegangen sind. similiter Geffckenus (*Timaios' Geographie des Westens* p. 74—80). harum duarum legum memoriam apud iuris peritos seruatam fuisse coniecit Herzogius (*über die Glaubwürdigkeit der aus der römischen Republik bis zum Jahr* 387 *d. St. überlieferten Gesetze* p. 20.)

p. 52, 1 Cybele uero eadem dicta est a loco, qui est in Phrygia.

p. 52, 2 Cytherea Venus ab urbe Cythera, in quam primum deuecta esse dicitur concha, cum in mari esset concepta.

p. 52, 3 Cyllenius Mercurius dictus, quod omnem rem sermo sine manibus conficiat, quibus partibus corporis qui carent *κυλλοί* uocantur ideoque quadratum eum fingunt. alii uolunt sic appellatum, quod in Cyllenia uia sit nutritus, alii quod in monte Arcadiae Cyllene, alii quod a Cyllene sit nympha educatus.

p. 52, 6 Cypria Venus, quod ei primum in Cypro insula templum sit constitutum, uel quia parientibus praesideat, quod Graece *κύειν* parere est.

p. 52, 8 Cynthius Apollo a Cyntho Deli monte uocatus.

p. 72, 2 Dictynna Diana, quam esse lunam putabant, dicta, quod fulgore suo noctu omnia ostendat.

p. 99, 20 Hecate: Diana, eadem putabatur et Luna et Proserpina.

p. 100, 10 Heliconides Musae a monte Helicone uocatae.

p. 100, 14 Hercules astrologus dictus, quod eo die se flammis iniecit, quo futura erat obscuratio solis.

p. 101, 2 Herceus Iuppiter infra consaeptum domus cuiusque colebatur, quem etiam deum penetralem appellabant.

p. 101, 11 Hippius, id est equester, Neptunus dictus est, uel quod Pegasus ex eo et Pegaside natus sit, uel quod eculeus, ut putant, loco eius suppositus Saturno fuerit, quem pro Neptuno deuoraret, uel quod tridentis ictu terra ecum excierit [1]), cui ob hoc in Illyrico quaternos equos iaciebant nono quoque anno in mare.

p. 103, 3 Hyperionem alii patrem solis, alii ipsum, quod eat supra terras, ita appellatum putabant.

p. 105, 15 Itonida: Minerua, a loco sic appellata.

p. 119, 16 Lycii Apollinis oraculum in Lycia maximae claritatis fuit ob luporum interfectionem. *λύκος* enim lupus est.

---

[1]) Verba *uel quod . . . excierit* a Verrio non in hoc loco posita esse collato schol. Verg. geor. 1, 12 docuit Wentzel (*Philol.* 50, 389); nam ea quae secuntur arte cum uerbis de eculeo supposito factis cohaerent.

p. 123, 1 Minerua dicta, quod bene moneat. hanc enim pagani pro sapientia ponebant; Cornificius uero, quod fingatur pingaturque minitans armis, eandem dictam putat.

p. 182, 30 Oreos Liber pater et Oreades nymphae appellantur, quod in montibus frequenter apparent.

p. 185, 18 Orestiades nymphae montium cultrices.

p. 212, 8 Pegasides Musae dictae sunt a fonte, quem Pegasus ictu ungulae fingitur aperuisse. ob quam causam et Graece appellatae sunt ἱπποκρῆναι.

p. 212, 10 Pimpleiades Musae a fonte Macedoniae dictae propter liquoris eius unicam subtilitatem.

p. 214, 5 Pierides Musae propter amoenitatam ac solitudinem Pierii montis dictae videntur, quo eae (esse *codd.*) secretis locis propter studia liberalia delectentur.

p. 220, 10 Pallas Minerua est dicta, quod Pallantem gigantem interfecerit, uel, sicut putabant, quod in Pallante palude nata est.

p. 222, 8 Paeana (Paean *codd.*) Apollinem uocauerunt, quod sagittarum ictu eum nocere putabant: est enim παίειν ferire. alii quod remedians morbis finem faceret talis grauitatis.

p. 356, 6 Thymbreum Apollinem Vergilius a monte Thymbreo appellauit < *georg.* 4, 323; *Aen.* 3, 85 >, qui est in agro Troiano.

p. 552, 4 *Th.* Terpsicore nomen Musae, quae deos hominesque delectat.

p. 367, 9 Tritogenia Minerua a ripa Tritonis fluminis dicta, quod ibi primitus sit uisa.

Deorum dearumque haec nomina aut cognomina maximam partem ita enodata sunt, ut in stoicorum scholis fieri solebat. atque de his etymologiis Verrium eodem modo obiurgare possemus, quo apud Ciceronem Cotta Balbum, stoicorum asseclam, dicens: In enodandis autem nominibus, quod miserandum sit, laboratis (*nat. deor.* 3, 62). nominum explicationes, quas Verrius congesit, omnes in priore litterarum suarum parte leguntur, quod iam monui, ita ut ex eodem fonte profluxisse uideantur. harum glossarum reperiendi auctorem ansam praebet explicatio p. 123, 1 Minerua, qua Cornifici sententia refertur. atque scimus Cornificium quendam libros de etymis deorum conscripsisse, in quibus

deorum nomina et cognomina stoicorum usus ratione enodauit. horum librorum nonnulli loci ab inferioris aetatis grammaticis nobis seruati sunt, qui ueriloquia praebent similia iis quae apud Verrium legimus [1]). quibus locis quamquam nulla ueriloquia referuntur, quae cum etymologiis a Verrio prolatis pugnent, tamen aegre ferendum est, quod nullius dei nominis explicatio a Cornificio data et apud Verrium et apud alios grammaticos simul seruata est [2]). quod si factum esset, nullus dubitandi locus esset relictus. sed etiamsi haec consensio non est, nihilo minus adfirmare ausim Verrium Cornifici libros in usum suum excerpsisse. Verrium enim has glossas e commentario de his nominibus composito hausisse docent primum hae sex glossae, quae in uno loco positae sunt: p. 51, 14—52, 8 Cybebe. Cybele. Cytherea. Cyllenius. Cypria. Cynthius, tum aliae quoque glossae, quae, etsi aliis explicationibus diiunctae sunt, tamen fere semper mediam prioris litterae partem obtinent. atqui cum de nullo alio grammatico, qui illo tempore de deorum nominibus scripserit, quicquam compertum habeamus, non est cur infitiemur Cornifici libros a Verrio adhibitos esse. accedit, quod Cornifici nomen non modo in explicatione, quae est de nomine Minerua, sed etiam in septem aliis glossis legitur quae item in prioribus partibus singularum litterarum positae sunt et res explicant cum sacris coniunctas. quas glossas Bergkius in unum composuit [3]) neque adfirmare dubitauit eas ex iisdem Cornifici libris haustas esse; id quod inscio Bergkio iam Merkelius coniecerat [4]). ego quoque facere non possum, quin in horum uirorum sententiam pedibus eam. quibus uero auctoribus Cornificius usus sit, partim ex his Macrobi uerbis cognoscere licet (1, 23, 2): Iouis appellatione solem intellegi Cornificius

---

[1]) Hos locos congesserunt Bergkius (*op.* 1, 546) et Beckerus (*Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft* 5 [1847] 1060).

[2]) Scribit quidem Macrobius (1, 17, 17) *Παιὰν ἀπὸ τοῦ παίειν a feriendo* et Verrius (p. 222, 8) *Paeana . . . est enim παίειν ferire;* sed dubitarim, an Macrobi haec explicatio e Cornifici libris tracta sit.

[3]) *Op.* 1, 458.

[4]) *Ad Ouidi fastos prolegg.* p. XCVIII.

scribit, cui unda Oceani uelut dapes ministrat. ideo enim, sicut et Posidonius et Cleanthes adfirmant, solis meatus a plaga, quae usta dicitur, non recedit, quia sub ipsa currit Oceanus, qui terram et ambit et diuidit. — restaret, ut quaereretur, quae ratio intercesserit inter Cornificium poetam et Cornificium Vergili obtrectatorem et hunc Cornificium. quae disquisitio cum nimis intricata sit neque ad finem perduci possit, nisi quis omnia de his uiris testimonia composuerit excusserit perpenderit, non mearum partium esse duco de hac re hoc loco quicquam statuere.

II
DE BINIS SINGVLARVM LITTERARVM PARTIBVS

De glossarum societatibus quoniam satis disputasse mihi uideor, facere non possum, quin de Verri librorum compositione deque ratione, quae inter binas singularum litterarum partes intercedat, denuo quastionem moueam sane intricatam. nam haec disquisitio tam incertis stabilita est fundamentis, ut si qui uir doctus suam de ea sententiam tulerat, non defuerit alter, qui hanc sententiam improbandam duceret. ac Muellerus quidem censebat alteras litterarum partes non a Verrio, sed a Festo compositas Verrianoque operi additas esse. hanc sententiam Reitzensteinius refellit demonstrando alteras partes aeque ac priores a Verrio congestas esse. quae Reitzensteinium recte docuisse cum omnibus iam persuasum sit, alteri eiusdem sententiae fides denegatur. namque contenderat etiam Verrium, cum glossas, quas collegerat, disponeret et in ordinem redigeret, morte oppressum esse; quo factum, ut non omnes explicationes suum occuparent locum, sed magnam saepe partem in finem litterae suae coniectae post Verri mortem cum ceteris explicationibus ederentur. talia adseueranti oblocutus est Goetzius [1]), aliamque tulit sententiam: priores litterarum partes congestas esse e compluribus glossarum libris per ordinem litterarum digestis, alteras e

[1]) *Berliner philol. Wochenschrift* 7 (1887) p. 1152.

commentariis de certorum auctorum uocabulis compositis, in quibus uocabula non per litteras disposita, sed ui et significatione coniuncta essent; praeterea alteris partibus multas glossas contineri, quas Verius in prioribus omisisset in alterisque addidisset. sed omnino discernenda sunt bina glossarum genera, unum earum, quae e libris grammaticorum redundarunt; alterum illarum, quae sunt de antiquitate republica uita cultu populi Romani. has glossas Verrium non a grammaticis mutuatum esse inde constat, quod pleraeque certos efficiunt greges atque singulis auctoribus uindicari possunt, uelut glossae de tribubus, portis urbis, cognominibus, auguriis rebusque sacris. grammaticae uero glossae unde sumptae sint continuo apparet, ubi de quodam uocabulo inter grammaticos contrauersia erat, uel ubi diuersae uocabuli cuiusdam significationes a diuersis grammaticis illustratae erant. tunc Verrius non modo poetarum uel oratorum locos affert, in quibus ista uocubula reperiuntur, sed etiam diuersorum grammaticorum sententias. quod paucis exemplis comprobabo.

p. 375, 3 Vacerram Aelius et alii complures uocari aiunt stipitem, ad quem equos solent religare. Ateius uero Philologus hoc nomine significari maledictum magnae acerbitatis, ut sit uecors et uesanus teste Liuio . . .

p. 141, 20 Molucrum non solum quo molae uertuntur (teruntur *apographa*) dicitur, id quod Graeci *μυληκόρον* (*Salmasius μύλικρον apographa*) appellant, sed etiam tumor uentris, qui etiam uirginibus incidere solet . . . Cloatius <et Aelius> etiam in libris sacrorum molucrum esse aiunt lignum quoddam quadratum, ubi immolatur. idem Aelius in explanatione carminum Saliarium eodem nomine appellari ait, quod sub mola supponatur. Aurelius Opilius appellat ubi molatur.

p. 162, 14 Nec coniunctionem grammatici fere dicunt esse disiunctiuam, ut: nec legit nec scribit, cum si diligentius inspiciatur, ut fecit Sinnius Capito, intellegi possit eam positam esse ab antiquis pro non, ut et in XII est <V 7b Brunsi>: ast ei custos nec escit. item <VIII 16>: si odorat furto, quod nec manifestum erit. et apud Plautum in

Fasmate < 240 >: nec recte si illi dixeris et Turpilium in Demetrio: nec recte dici mihi, quod iam dudum audio.

Plura exempla praebent glossae:

p. 166, 2 Naccae. p. 166, 6 Naucum. p. 170, 18 Numero. p. 257, 24 Querqueram.

Haec de prioribus litterarum partibus. in alteris uero partibus primum quidem inuenimus saepe productos glossarum quarundam cognatarum ordines, quarum ceterae in prioribus partibus sunt. id factum uidemus de glossis, quae sunt de prouerbiis (p. 149, 2 MANVM. p. 261, 29 QVOT serui. p. 282, 10 RIDEO canterio), de tribubus (p. 233, 8 POMPTINA. p. 233, 10 PAPIRIA. p. 233, 21 PVPINIA. p. 233, 25 POPILLIA. p. 343, 26 SCAPTIA. p. 343, 28 STELLATINA. p. 343, 31 SABATINA. p. 367, 16 TROMENTINA. p. 368, 11 VRBANAS tribus), de coronis (p. 57, 7 CASTRENSI), de praenominibus (p. 148, 16 MANIVS), de cognominibus (p. 57, 13 CAESONES. p. 57, 14 CAESAR p. 238, 2 POSTVMVS), de aeribus (p. 64, 12 CONTRARIVM. p. 65, 18 CAPITARIVM. p. 285, 21 RESIGNATVM. p. 345, 33 SACRAMENTVM). simili modo in alteris litterarum partibus producuntur glossae, quae sunt de certorum auctorum certis locis. non dico hoc loco glossas Plautinas uel Ennianas uel Catonionas, quarum in alteris partibus magni inueniuntur greges, sed glossas, quae e recentiorum libellis sublatae sunt. sic glossae Lucilianae, Lucretianae, Vergilianae sparsae per utrasque litteras leguntur. accedit, quod etiam in alteris litterarum partibus eorundem grammaticorum testimonia, quorum auctoritate in prioribus partibus Verrius usus erat, in medium proferuntur: p. 234, 5 Aeli Stilonis explicatio legitur, p. 146, 20 et 147, 13 eiusdem et Opili auctoritas adhibetur, p. 343, 25 aliam Opili explicationem inuenimus. quae si omnia nobiscum reputauerimus, uix fieri poterit, ut in Goetzi sententiam discedamus. nam si haec sententia staret, necesse esset maius discrimen inter priores et alteras partes intercedere neque glossarum in alteras partes traductarum tantum esse numerum. minime enim uerisimile est Verrium in excerpendis Varronis aliorumque libris tam neglegenter uersatum esse, ut magnum explicationum numerum temere

praeteriret, tum uero cognita incuria sua has glossas postmodo adderet. immo, alterarum partium glossae ita comparatae sunt ut priorum partium, nisi quod saepius gregatim procedunt seuerioremque litterarum ordinis legem spernunt. itaque non re, sed ordinis lege tantum a glossis priorum partium differunt. neque mihi dubium est Festum binarum partium differentiam non perspexisse. namque Festus si sciebat alteram litterae *R* partem inde a glossa p. 282, 10 RAVAM incipere, cur non ab hac ipsa glossa initium cepit libri XVIII? cum uero inter hanc glossam et initium libri XVIII sex aliae glossae intercedant, patet eum de binis partibus nihil compertum habuisse neque in Verri libris alteras partes a prioribus ullo modo, ueluti noui libri initio, seiunctas fuisse. utque iam ad Reitzensteini sententiam reuertar, a uiro doctissimo quaerere uelim, num uerisimile esse ducat eos, qui post Verri mortem eius libros ediderint, indigestas singularum litterarum partes iis partibus, quas Verrius iam in ordinem redegerat, nullo diremptu facto adplicuisse. quod factum esse non possum adduci ut credam. nam cum Festo auctore Verri opus tot libros complecteretur, facili opera fieri potuit, ut alterae quas dicimus partes a nouo libro inciperent. sed mihi liquere profiteor Reitzensteini coniectura minime opus esse, dummodo ne ordinem rationemque quaeramus ubi nullus est neque fuit. atque mihi quidem uidetur Verrius collectis, quas edere parabat, glossis et explicationibus aliquam disponendarum rite glossarum legem[1]) temptasse, ut operis consulendi laborem minueret; postea uero cum uidisset hanc legem claudicare uixque quicquam commodi suppeditare, istam legem repudiasse glossasque, quas nondum disposuerat, ut erant collectae, edidisse. quo pacto facile explicari potest, cur eorundem saepe auctorum nomina in alteris partibus legamus et haud paucae glossarum cognatarum societates in eas productae inueniantur.

[1]) Eam legem dico, cuius uestigia Muellerus in prioribus singularum litterarum partibus indagauit.

III
DE ALIIS LIBRIS A VERRIO CONSCRIPTIS

Vt ex uno Gellio compertum habemus quem titulum Verrius ingenti suo operi indiderit, ita eidem antiquitatis inuestigatori aliorum quoque librorum a Verrio editorum notionem debemus. quorum librorum notio eo gratior nobis est, quod quaestionem de ratione mouet, quae inter hos libros et de significatu uerborum libros intercesserit. atque iam Muellerus comparauit locum quendam, quem Gellius e Verri de obscuris Catonis libris memoriae prodidit, cum explicatione inter glossas Catonianas a Festo seruata, quae eadem nos docet. quo fundamento nixus Reitzensteinius summa probabilitatis specie monstrauit omnes glossas Catonianas, quae in altera litterae suae parte positae erant, ex hisce libris redundasse[1]). attamen adfirmare minime licet Verrium obscura Catonis eo tantum consilio collegisse, ut postea ea omnia in suos de significatu uerborum libros reciperet. quod si factum esset, non iam opus erat post editos de significatu uerborum libros istos de obscuris Catonis libros adire. hos uero libros iuxta illos in usu fuisse docet Gellius (17, 6, 2): *Quaerebatur,* inquit, *seruus recepticius quid esset. libri statim quaesiti allatique sunt Verrii Flacci de obscuris Catonis.* Gellius autem ipse Verri de sign. uerb. libros inspexit, id quod docent capita XVII et XVIII libri sui quinti, quae tota ex illius libro quarto exscripsit. praeterea Gellius alio quoque Verri opere usus est in componendo capite quinto libri quarti, quod opus inscriptum erat Rerum memoria dignarum libri. horum librorum apud Festum Paulumque nulla inueni uestigia, neque mihi uerisimile uidetur Verrium his libris in componendo magno suo opere usum esse[2]). at aliter a uiris doctis de aliis Verri libris iudicatum est. horum uirorum sententiis ut nunc insistam grauibus compellor causis.

---

1) Mueller *praef.* p. XVI. Reitzenstein p. 57.

2) Intercedit quidem quaedam similitudo inter ea, quae Gellius ex his libris narrauit (4, 5), et glossam, quae est p. 209, 10 Pictor Zeuxis, sed ea cognatio incertior est quam ut adfirmari possit de Zeuxide eadem in libris rerum memoria dignarum Verrium tradidisse.

1. Verrium de orthographia quoque scripsisse Suetonius casu quodem scribit (*de gramm.* 19. p. 114, 16 *R*): Scribonius Aphrodisius, inquit, Orbili seruus atque discipulus mox a Scribonia Libonis filia, quae prior Augusti uxor fuerat, redemptus et manumissus docuit quo Verrius tempore, cuius etiam libris de orthographia rescripsit non sine insectatione studiorum morumque eius. hoc testimonio apertum esse uidetur Aphrodisium minus ea curasse quae Verrius de orthographia praeceperat, sed inde causam sumpsisse, ut in Verrium, cuius auctoritati fortasse inuidebat, Graeculorum more nebulonum acerbius inueheretur. minime igitur ex huius hominis conuiciis colligere licet alios quoque Verri aequales eius de orthographia libros improbasse. nam cum posterioris aetatis grammatici passim Verri in rebus ad recte scribendi rationem pertinentibus auctoritatem sequantur, non est cur aequales idem fecisse negemus. e posteris quidem, quantum uideo, Suetonius primus in his rebus se ad Verri auctoritatem confert (p. 354, 1 — 5 *R.*). eum deinde multi alii grammatici secuti sunt. sed iam in aream descendimus, in qua iam pridem uiri docti magna cum contentione desudarunt. atque speciosam quidem in hac re coniecturam protulit Schadyus, quam magna argumentorum ui defendere conatus est [1]). sententiam suam hisce concepit uerbis (p. 49): Tractatus de orthographia qui in Mari Victorini arte grammatica inuenitur male confecta epitome amplioris de orthographia libri quamquam additamentis aliunde desumptis non caret existimanda est. atque libros ille excerpsit Verri Facci de orthographia. eodem auctore Annaeus Cornutus, Terentius Scaurus, Velius Longus scriptores orthographici, Quintilianus in iis capitibus libri I, quibus de rebus orthographicis agit (IV, VI, VII) usi sunt: omnium ad auctoris uerba proxime accedere Marius Victorinus existimandus est. en tibi aliud opus Verrianum excerptum imminutumque! Schadyus sententiam suam argumentis stabilire sibi uidetur praecipue e glossis Verrianis petitis. comparat enim inter se Victorini dictata et haud paucas glossas a

[1]) *De Mari Victorini libri I capite IV quod inscribitur de orthographia pars I.* Bonnae 1869.

Festo Pauloue seruatas. sed iste quem dicit consensus tam incertus uagus fluctuansque est, ut facile concedam Victorini doctrinae uestigia iam apud Verrium adparere, at nullo pacto in animum inducere possim Verrium a Mario exscriptum esse. accedit quod a ueritate prorsus abhorret credere Verrium talia scripsisse qualia apud Victorinum legimus: *Nigidius Figulus in commentariis suis nec k posuit nec q nec x (p.* 8, 16 *K. cf. p.* 21, 3*).*[1] — *Diuus Augustus genetiuo casu huius domos meae per o, non ut nos per u litteram scripsit. Messala, Brutus, Agrippa pro sumus simus scripserunt* (p. 9, 4 *K.*). tales nugas Suetonius posteris tradere solet (cf. *Aug.* 87. 88); at Verrium idem de aequalibus fecisse non possum a me impetrare ut credam. itaque Schadyi coniecturam missam faciamus ut iam aliis motus causis fecit Mackensenus[2]). hic item in Verri de orthographia libros inquisiuit et suae disputationi praemisit nonnulla capita, in quibus de omnibus Romanorum grammaticis disserit, qui de orthographia scripserunt, id quod gratissimum nobis fecit. at quibus commotus causis non de Suetonio quoque uerba fecit, qui sine dubio in hunc censum admittendus erat? sextum disputationis caput hunc praefert titulum: De reliquiis Verrii de orthographia librorum apud Festum et Paulum inuentis. in hoc Mackensenus omnes Festi Paulique glossas composuit, quas e libris de orthographia Verrium deprompsisse arbitratur. libenter uiro docto concedo inter has glossas uix ullam esse, quae ab his Verri libris aliena esse uideatur, nam posterioris quoque aetatis grammatici talia exempla proponunt, quae Mackensenus diligenter indicat; attamen adfirmare non dubito numquam futurum fuisse, ut quis glossas hoc modo congestas ex iisdem libris fluxisse statueret nisi Suetoni commotus testimonio. nam hae glossae, quasi oestro percussae, per omnes litterarum partes nusquam non uagantur.

---

[1]) Nigidium in hac re Varronem secutum esse monet Ritschelius (*op.* 3, 377).

[2]) *De Verrii Flacci libris orthographicis* (Diss. Ienens. Lipsiae 1896) p. 38.

si ex ordine glossarum Catonianarum exemplum sumere licet, orthographicae quoque glossae ordinem quendem seruent oporteat, quem etiam grammaticae quaedam glossae obseruant; confer exempli gratia has glossas (p. 153, 2—31): METAPHORAM. METAPLASTICOS. META*[THESIS?]* METONYMIA. MASCVLINA ET FEMINA VOCABVLA. at glossae orthographicae spreto ordine hinc inde corrasae esse uidentur. praeterea scimus multas glossas a Mackenseno receptas ex aliis libris protractas esse. sic glossa (p. 23, 16) Aureliam familiam non separanda est ab ea, quae subsequitur: Aemiliam gentem. nam hae glossae haud dubie Varroni debentur (cf. Ritscheli *op.* 3, 446). item glossas p. 43, 10 Chilo. p. 67, 8 Dusmo in loco. p. 68, 10 Dacrimas. p. 205, 17 Plisima. p. 302, 15 Suburanam ex aliis fontibus profluxisse scimus. itaque etsi minime dubito, quin Verrius haec quoque exempla in libris, quos de orthographia conscripsit, proponere potuerit, uehementer negouerim glossas a Mackenseno in unum collatas ex istis libris redundasse. sed omnes hae glossae, quantum scilicet ad orthographiam pertinent, non de industria, sed data occasione a Verrio explicatae sunt. itaque qualis fuerit de orthographia librorum indoles et natura e libris de uerborum significatu definiri nequit.

2. Alia quoque impigerrimum grammaticum litteris consignasse ex eodem Tranquillo compertum habemus. tradit enim (p. 113, 20 *R.*) Verrium statuam habuisse Praeneste, quae fortasse eius patria fuit, in inferiore fori parte circa hemicyclium, in quo fastos a se ordinatos et marmoreo parieti incisos publicasset. quorum fastorum complura fragmenta nobis seruata esse in uulgus notum est. at item constat tales populi R. fastos iam a Fuluio Nobiliore anno a. Chr. n. 189 publicatos esse, cuius exemplum multi alii uiri docti secuti sunt [1]), id quod etiam hac Verri glossa docemur (p. 87, 19): *Fastorum libri appellantur, in quibus totius anni fit descriptio* [2]). Mommsenus uero, etiam si adfir-

[1]) Cf. Mommsen *CIL* I 1² p. 285.

[2]) Quae secuntur uerba: *Fasti enim dies festi sunt* male excerpenti Paulo uitio danda sunt.

mat ea, quae Verrius Ouidius Lydus referant, exceptis Praenestinis paucis a Verrio adiectis omnia pendere uideri e fastis publicis populi R., tamen arbitratur Verrium fastos suos Praeneste publicatos fortasse excerpsisse e commentario, quem de feriis festisque conscripserat[1]. argumento utitur hoc: apprime eiusmodi libro conueniunt quae ex Verrianis libris titulo non adscripto apud Macrobium sat. 1, 10, 7. c. 12, 15 referuntur. atqui apud Macrobium (1, 10, 7) haec legimus: Duodecimo uero (kal. Ian.) feriae sunt diuae Angeroniae, cui pontifices in sacello Volupiae sacrum faciunt. quam Verrius Flaccus Angeroniam dici ait, quod angores ac sollicitudines animorum propitiata depellat . . . Iulius Modestus ideo sacrificari huic deae dicit quod populus R. morbo, qui angina dicitur, praemisso uoto sit liberatus. sed Verrius de hac dea etiam in libris de significatu uerborum egerat, ut parua haec Pauli glossa testatur (p. 17, 11): *Angeronae deae sacra a Romanis instituta sunt, cum angina omne genus animalium consumeretur, cuius festa Angeronalia dicebantur.* nihil igitur nos impedit, quominus credamus ea, quae Macrobius de Verrio hoc loco refert, ex eius libris de sign. uerb. nondum minutis hausta esse, praesertim cum sciamus Suetonium, quem Macrobius in his capitibus expilauit[2], alias quoque hisce Verri libris usum esse. idem de alio loco (1, 12, 15), quem Mommsenus indicauit, iudicandum est. *ab his omnibus,* inquit Macrobius, *mensem Aprilem dici merito credendum est, quasi Aperilem, sicut apud Athenienses ἀνθεστηριών idem mensis uocatur ab eo, quod hoc tempore cuncta florescant. non tamen negat Verrius Flaccus hoc die postea constitutum, ut matronae Veneri sacrum facerent.* Verrius cum inter glossas explicarit nomina Februari (p. 85, 13), Marti (p. 150, 17), Mai (p. 134, 27), Iuni Iulique (p. 103, 14. 15), dubium esse non potest, quin explicatio Aprilis deperierit. fortasse haec explicatio coniuncta erat cum glossa (p. 2, 7): *Apricum locum a sole apertum* cet. accedit, quod apud Macrobium in anni R. descriptione saepe talia legimus: Cincius in eo libro,

[1]) *CIL* I p. 363, in ed. altera p. 285.

[2]) Cf. Wissowa *de Macrobii Saturnaliorum fontibus* p. 22—26.

quem de fastis reliquit (1, 12, 12), Fuluius Nobilior in fastis (*ibid.* 16), Nisus in commentariis fastorum (*ibid.* 30); cur numquam Verri fasti excitantur? alio in loco aliter egit Macrobius, namque ibi (1, 4, 7) de Saturnalibus Verri sententiam profert atque addit: *Verrius Flacius in eo libello, qui Saturnus inscribitur.* quapropter e Macrobio minime constat Verrium in fastos populi R. commentarium scripsisse.

Plane nouam uero in hac re sententiam non multo abhinc tempore exprompsit Hermannus Winther edita disputatione, quae praefert titulum *De fastis Verrii Flacci ab Ouidio adhibitis* [1]. cuius libelli auctor quid sibi proposuerit libelli titulus satis eloquitur. comparat enim inter se fragmenta fastorum Verrianorum, Ouidi fastos Festi Paulique de fastis glossas atque magnum saepe deprehendit consensum. at ex docto uiro quaerere uelim, num putet inter diuersos diuersorum scriptorum in fastos commentarios magnum discrimen fuisse. immo, de fastis doctrina non minus tralaticia erat ac de grammatica eloquentia aliisque rebus cognitione dignis. fasti uero cum in dies magis magisque augerentur, nouis subinde commentariis opus erat, qui auctis fastis responderent. attamen minime negauerim eos, qui commentarios retractabant, relatis antiquiorum auctorum sententiis opinionibusque non nouas quoque explicationes protulisse. sic saepe dissensio quaedam orta est, quae a posterioribus scriptoribus non sublata, sed eo modo propagata est, ut diuersarum sententiarum auctores enumerentur. quo factum est ut Macrobius quoque quandam Fului Nobilioris sententiam adferat. ceterum fastorum libros omnium fere manibus tritos fuisse Ouidius saepe indicat. confer quaeso hos uersus:

3, 87 quod si forte uacas, peregrinos inspice fastos:
mensis in his etiam nomine Martis erit.
6, 59 inspice, quos habeat nemoralis Aricia fastos
et populus Laurens Lanuuiumque meum:
est illic mensis Iunonius. inspice Tibur
et Praenestinae moenia sacra deae:
Iunonale leges tempus.

[1]) Berolini 1885.

peregrinos hos fastos ipsis Romanis etiam comprensos fuisse scimus, nam saepissime eorum mentio fit in commentariis fastorum Romanorum, sicut et Verrius in fastis Praenestinis eos respexit. itaque ubi Ouidius talium fastorum laterculo recens ordinato et bono quodam commentario se instruxit, facile, qui erat poeta ingenio et memoriae ui summe diuinitusque praeditus, ad fastos pangendos accedere potuit. sed aliis quoque se fontibus usum esse ipse confitetur:

2, 584 disce, per antiquos quae mihi nota senes.
4, 377 tertia lux (memini) ludis erat, ac mihi quidam
spectanti senior continuusque loco
'haec' ait 'illa dies' *cet.*
4, 689 is mihi multa quidem sed et haec narare solebat,
unde meum praesens instrueretur opus.
4, 907 flamen in antiquae lucum Robiginis ibat . . .
protinus accessi, ritus ne nescius essem:
edidit haec flamen uerba, Quirine, tuus.
6, 397 huc pede matronam uidi descendere nudo:
obstipui tacitus sustinuique gradum.
sensit anus uicina loci iussumque sedere
alloquitur quatiens uoce tremente caput.

Talia colloquia, etsi eodem modo a poeta conficta esse possunt quo deorum dearumque crebrae adlocutiones, id saltem monent poetam nonnullas fabellas, quas refert, etiam ex ore hominum percipere potuisse. nam in commentario, quo utebatur, certo non repperit paratam omnem materiam, qua fastos suos instruxit; nam etiam Graecas fabellas in tali commentario non decantatas esse per se patet. atque Varronis poetam commentario usum esse omnibus constat, qui in Ouidi fastos intentius quaesiuerunt [1]. neque quicquam parabilius erat hoc Varronis commentario. huius commentari summam propositam esse contendo in eiusdem libris de lingua Latina 6, 12—34. ubi plenus et

---

[1]) In hac sententia rectissime perseuerarunt H. Peter (in ed. tert. Fast. p. 17) et Werberus (*Tertullians Schrift de spectaculis in ihrem Verhältnisse zu Varros Rerum diuinarum libri.* Teschenae 1896 p. 12). idem nuperrime Muenzerus *l. l.* p. 316.

integer commentarius legi potuerit, Varro indicat ipse (*l. l.* 13): *Februm Sabini purgamentum et id in sacris nostris uerbum; nam et Lupercalia Februatio, ut in Antiquitatum libris demonstraui.* 18: *Aliquot huius diei uestigia in sacris apparent, de quibus rebus Antiquitatum libri plura referunt*[1]). ex isto igitur Antiquitatum libro Ouidius si hauriebat, omnia quae ad id usque tempus grammatici et antiquitatum scriptores de fastis contulerant, facili negotio cognoscere potuit.

Wintherus sententiam, quam de Verri fastis ab Ouidio adhibitis tulerat, alio argumento stabilire conatus est, quod e glossis, quae de fastis apud Festum Paulumque leguntur, petiuit. monet enim has glossas saepissime cum Fastis Praenestinis et Ouidianis congruere. longe abest, ut hoc ita se habere negem. sed de his glossis eadem ualent, quae supra de glossis orthographicis dixi. accedit, quod haud paucae ad fastos spectantes glossae cum in priore tum in altera litterae suae parte explicatae leguntur, quas indicasse satis erit: p. 210, 33 Piscatorii ludi — p. 238, 23 PISCATORII LVDI. p. 222, 12 Pales — p. 237, 22 PARILIBVS. 245, 34 PARILIA FESTA. p. 340, 7 Septimontium — p. 348, 24 SEPTIMONTIO[2]). p. 265, 28 Rustica uinalia — p. 289, 10 [RVSTICA VINALIA]. p. 142, 13 Mundus — p. 154, 30 MVNDVS (Ateius Capito). quo modo haec discordia explicari potest, nisi statuerimus illas glossas e diuersis fontibus haustas esse? nam si Verrius proprio in fastos commentario usus esset, omnino fieri non potuit, ut eaedam glossae bis explicarentur. quae cum ita sint, Wintheri coniecturis nulla iam uis inest.

---

[1]) Simili modo Varro ea, quae in libris de l. L. de urbe Roma eiusque locis tradidit, ex Antiquitatum libris repetiit; id quod rectissime animaduertit Iordanus (*topogr.* 1, 1 p. 54*).

[2]) De duabus his glossis optime disputauit Wissowa in *Satura Viadrina* p. 4.

IV
DE POMPEI FESTI PATRIA

Verrianorum librorum epitome a S. Pompeio Festo facta uno codice Farnesiano nobis seruata est neque quicquam de aliis codicibus cognitum habebamus. at nuper M. Manitius indices librorum in antiquis bibliothecis seruatorum perscrutatus duos huius epitomes codices relatos inuenit [1]). quorum alter indicatus est in indice librorum coenobi Cluniacensis infra annos 1158 et 1161 confecto, alter in indice coenobi Britannici, quod erat Glastonbury, anno 1247 perscripto. hic codex ita notatus est: *Liber Pompei de significacione uerborum,* ille *Liber Festi Pompeii ad Arcorium Rufum.* non dubium est, quin hi codices Festi epitomen complexi sint; id quod etiam comprobatur hac codicis Farnesiani subscriptione (p. 330, 4): *Sex. Pompei Festi de uerborum significat.* maximi uero momenti est nota codicis Cluniacensis: *Liber Festi Pompeii ad Arcorium Rufum.* atque recte monuit Manitius praua illius aetatis consuetudine *Arcorium* pro *Artorium* scriptum esse. quis hic Artorius Rufus fuerit nescimus; scimus uero alios fuisse illos Artorios, quorum mentionem fecerunt Verrius p. 225, 12; 352, 5; 364, 16 et Quintilianus 9, 1, 2. his igitur testimoniis fultos nos nihil profecturos esse puto, nisi alia quoque subsidia quaesiuerimus. atque haec subsidia tituli, ni fallor, praestare possunt. iam uero in titulis haud raro gentilium Pompeiorum et Artoriorum mentio fit; confer inter alios hos titulos: *CIL* VIII 1209 *M. Artorius Festus Concessianus. CIL* IX 510. XII 1453 *Pompeia Festa.* sed hos titulos in hac re non terrunci esse patet. aliter autem res se habet, si duos titulos, qui in eadem urbe Narbone inuenti sunt, in iudicium uocabimus. hos dico titulos

---

[1]) *Hermae* 27 (1892) p. 318.

CIL XII 4412

VIV
A · POMPeIO · FESTO
IIIIII·VIR·AVG
A·POMPEIO·ALEXI·POMPEIÆ
VXORI
/POMPEIO · DIADVMENO
IIIIII·VIR·AVG
POMPEIA/ / / / / / /
/ / / / / / / / / /
/ / / / / / / / / /
IN · F · P · XII · IN · A · P · XV

Viu(ont uel uiuit). A. Pompeio Festo seuir(o) Aug(ustali), A. Pompeio Alexi, Pompeiae uxori, . . Pompeio Diadumeno seuir(o) Aug(ustali) Pompeia . . . in f(ronte) p(edes) XII, in a(gro) p(edes) XV.

CIL XII 5066

T · POMPEIVS
VENVSTVS · ET
ARTORIÆ·C·F·PROCLÆ
VXORI · T · POMPEIO
PROCLO · F · POMPEIAE
VENVSTAE · F · ET

T. Pompeius Venustus et Artoriae C. filiae Proculae uxori, T. Pompeio Proculo filio, Pompeiae Venustae filiae et . . .

E priore igitur inscriptione comperimus Pompeios Narbonenses inter alia etiam Festi cognomine usos esse, altera docemur Narbone Pompeios et Artorios adfinitate inter se iunctos fuisse.

Nulla alia in urbe, quantum sciam, titulis haec harum duarum familiarum adfinitas ostenditur. itaque si concluserimus Festum nostrum et illum Artorium Rufum Narbonensium familiarum, quarum titulos proposui, stirpes fuisse, non longe puto nos a ueritate aberraturos. qui tituli quo tempore perscripti sint certo definiri nequit; tamen uerisimilius est eos tertio saeculo recentiores esse. ergo ad profligandam de Festi aetate quaestionem nihil nos iuuant.

Narbone uero Festum uixisse facile credi potest; nam ea urbs inde a tertio p. Chr. n. saeculo litteris eximie florebat. alium etiam nouimus Narbonensem grammaticum, Marcellum, qui tamen aetate Festo multo inferior erat. quanta hic Narbone auctoritate usus sit, docent hi Ausoni uersus (*prof.* 18):

Mox schola et auditor multus praetextaque pubes
grammatici nomen diuitiasque dedit.

GLOSSARVM LATERCVLVS

Henricus Vilelmus Willers natus sum pridie Kal. Octobres anni huius saeculi septuagesimi in uico, qui est Algermissen, Hildesiam inter et Hannoueram sito, patre Iosepho, matre Magdalena e gente Goebbels, quos acerbissimo fato mihi ereptos lugeo. postquam inde a uere anni LXXXV ad idem usque tempus anni XCIII Hildesiae gymnasium frequentaui, maturitatis testimonio instructus Bonnam me contuli, ut philologiae operam darem. post ter senos menses Gottingam commigraui. inde ab autumno superioris anni Hannouerae commoror occupatus in museo Kestneriano. Bonnae me docuerunt uiri docti Bethe Buecheler Elter Klein Loeschcke I. B. Meyer Nissen Trautmann Vsener Wiedemann, Gottingae Baumann Dilthey Dziatzko Kaibel Leo V. de Wilamowitz-Moellendorff. proseminario philologorum Bonnensi per ter sex menses interfui, tantundem temporis seminari Gottingensis fui sodalis ordinarius; ad exercitationes archaeologicas me admiserunt Loeschcke et Dilthey, ad epigraphicas Buecheler, ad historicas Nissen, ad palaeographicas Dziatzko. magistris optimis Buechelero Loeschckio Nisseno Dziatzkoni, quorum scholae mihi profuerunt maxime, maximam habeo gratiam. iustam etiam referre uelim gratiam Carolo Schuchhardt, musei Kestneriani praefecto, qui me nonnullas monumentorum ueterum in hoc museo seruatorum series ordinare et describere iam pridem iussit itaque magnam mihi fecit tractare haec monumenta addiscendi copiam nec non Georgio Wissowae, qui hunc libellum comiter pertractauit eximiisque auxit adnotationibus.